Wołkowicki Hieronymi: Encomium Palladis. 1606.

ENCOMIVM PALLADOS.

HIERONYMI WOLKOWICKI,
ALMÆ ACADEMIÆ CRACOVIEN:
STVDIOSI.

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse. Horat: lib: 1. Epist.

CRACOVIÆ,
Ex officina Typographica Andreæ Petricouij.
Anno Domini, M. DC. VI.

Στέμμα μεγαλοφρόνος τοῦ Ἰωάννου Μικουλίνιου
τῆς τοπαρχίας Βρασλάβισκης ἀρχικοῦ
Γραμματέος.



Σαρματίας σημεῖα βλέπεις ἡρωϊκὰ ταῦτα,
ζεῖ λαμπρῶς κλήτωρ· οὐκ ἄρα θαυμάσιον.

MAGNI-

MAGNIFICO DOMINO
D. JWANO MIKVLINSKI,
Primario territorii Bractauien: Notario. etc. Domino ac Mecœnati ſuo clementiſsimo.

HIERONYMVS WOLKOVICKI, perpetuam fœlicitatem.

PRincipibus viris, Magnifice Domine, duo eſſe neceſſaria nemo ignorat; alterum iuris ciuilis ſcientia, alterum rei militaris peritia: his enim duobus ſalus Reipub. retinetur; prudentia videlicet domi, virtute & fortitudine foris, tum nulli magis competit Rempublicam tueri, quàm viris peritis. Id vtrumq; tibi Diuinâ prouidentiâ conceſſum, non Damoclis ore, ſed Epaminondæ animo, omnes viri eximiæ laudis fatentur. Sapientia itaq; cùm ſit horum dux ac gubernatrix, non immeritò viſum eſt mihi, laudes eiuſdem qualicumq; Minerua depingendo, tibi vt vero amatori Muſarum hunc libellum dedicare atque conſecrare: non ideò vt te ad hæc ludicra primordia ingenii mei reuocem, verùm vt illuſtri tuo nomine libellus inſignitus, aliquid lucis accipiat gratiorq́ue & acceptior, cùm multis, tum maximè ſtudioſis adoleſcentibus accidat. Idcircò qualemcunque opellam hanc meam benigna fronte ſuſcipias, ſubmiſſè rogo, nõ donum ſed animum dantis conſiderando; *Mentem enim non donum ſpectat vbiq; bonus,* Poëta quidam ſcitè. Interim viue feliciter annos quàm plurimos, meq́ue tuum clientem fauore ac beneuolentia priſtina proſequaris, vehementer etiam atque etiam rogo.

Cracouiæ XIIII. Kalend. Iulij.

1606.

Τὸ, τοῦ Ἀλέξααανδρου Μικουλίνιου εἰς τὰς μούσας ἐπίγραμμα.

Ἦρ διδοεῖ τὸ ἄνθος· κάρπον δὲ ἀνθὸς· καλὸν ὄσμον,
Καρπὸς. ἦθος μοῦσαι τὸ οὕτως· ἄισθησιν ἔθος γέ·
Ἄισθήσις τιμήν. ἆρα δεῖ θεράπωντα γινώσκειν,
Ὀρθῶς τῶν μουσῶν τριά, καὶ πρωτῶς χρόνος ἵνα,
Μὴ μάτην καταρρῇ, μὴ δαπανημάτα ποιῇ,
Καὶ τῶν πραγμάτων ἀγνὼς ζῇ μήποτε κεῖνος.

Enco-

Encomium Pallados.

PHœbus chryſocomus reſidens in montibus altis
Parnaſi, ſobolis caræ ſolatia mittit,
In iuga Parnaſi vt veniant, citharasq; canoras
Præcipit vt capiant: mœrores ſenſibus imis
Euellant; nec enim Phœbo gaudente Camœnas
Fas luctus, gemitus, lachrymas, geminare tepentes.
Hæc vbi dicta dedit genitor, mox læta frequentãt
Pæana Piërides, curſu rapidoq; feruntur
Ad iuga Parnaſi, argutâ præeunte Thaliâ,
Accelerantq; gradum Phœbi vt mandata capeſſant;
Vt venêre ſilent arrectisq; auribus aſtant.
Tum ſic Phœbus ait: Muſarum cara propago,
Gaudeo te veniſſe, nouus mea templa ſacerdos
Ingreditur; caſtâ redimitus tempora lauro:
Virtutis pulchræ laudes narrare paratus,
Ore fauete precor, dum noſtrum numen adorat:
Dixit ei paucis, ita reddidit ore Thalia,
Dulce decus noſtrum genitor quæcunq; voluntas
Eſt tua; paremus dictis, iuuenilibus auſis
Non deerit noſtrum auxilium, tu cœpta ſecundes
Fac pater, ac eius conatibus annue cœptis.

Hæc dum consultat, summi Iouis inclyta proles,
Magnus lætitiæ feruor per membra cucurrit,
Sponte suaq́ȝ ferunt Musæ responsa per auras:
Et mihi gaudenti talis vox excidit ore.
Quam cœlo demissa fuit pulcherrima virtus,
Virtus quâ nihil in terris præstantius vnquam,
Concessêre Dij nobis mortalibus ægris.
In syluis homines viuebant more ferino,
Glandibus, & folijs sedantes murmura ventris.
Vnguibus inter se, & pugnis sudibusq́ȝ præustis
Certabant: nullis gaudentes legibus. atque
Omnes ausi immane nefas, ausoq́ȝ potiti,
Nulla fides, pietasq́ȝ pudor, reuerentia nulla,
Inter eos aderat; iucundum viuere rapto,
Moliri insidias, aliorum incessere campos;
Tales per terram summi regnator Olympi
Vt vidit fraudes, mox misit ab ætheris axe
Mercurium, vt citharum Othrysio dulcesq́ȝ lepores
Sufficeret vati; queîs possit pectora dura
Demulcere virûm, ac sceleratas tollere fraudes
Ex hominum cætu: virtutis semine iacto.
Paret Mercurius dictis Iouis; Orphea verbis
Affatur, tales depromens pectore voces:
Aspicis hanc Orpheû vitam moresq́ȝ ferinos

Huma-

Humani generis? cui cordi frausq́ dolusq́,
Insidiæq́ truces, & amor sceleratus habendi,
Nulla fides, & cura Deûm, non iura pudorq́,
Certa domus nulli, per scrupea saxa vagantur,
Et loca senta situ, carie, squalore repleta.
Coniugium his nullum, natorum peßima cura,
Iustitiæ, virtutis honos contemptus vbique.
Cur pater omnipotens voluit te pectine eburno
Hanc citharam pulsare, viros vt viuere vitam
Edoceas aliam, à victu reuocesq́ ferino.
Hæc cùm dicta dedit, tenues seceßit in auras,
Thrëicius citharam percurrens pectine vates.
Constiterant amnes rapidi, ecce, & turba ferarum,
Quercus humo viridi radicem mouerat, atque
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara
Syluarum frondes; hominumq́ exercitus omnis
Erumpens antris, vitam moresq́ ferarum
Exuit, atq́ domos primùm, mox mœnia condit,
Leges instituit sanctas: sanctumq́ senatum
Eligit; ad cuius nutum componere mores
Optat: Iustitiam manibus super æthera pansis
Euocat; atque onerant altaria thure Deorum,
Certatimq́ scelus grande execrantur; honorem
Cuique suum referunt, capiti reuerentia cano

Magna datur; nulliq́ nocent nullumq́ molestant
Amplius. omne genus studij amplectuntur, & artes
Exercent varias, quo frater amandus amore
Atque parens dulcis, præscribunt lege perenni.
Artibus inuentis incumbunt pectore toto,
Et ducunt alij vultus de marmore viuos:
Hi causas orant, radio cœliq́ meatus
Describunt, illi surgentia sydera noctis
Obseruant, cursus lunæ solisq́ labores,
Vnde hominum genus ac pecudum pictæq̂ volucres
Prouenêre; rogant, quærunt, rimantur ad vnguem
Omnia, deinde virûm mirati facta bonorum,
Vt iuuenes stimulent, statuunt ex ære columnas,
Scriptis illustrant, celebrantq́ hos carmine dulci,
Nec magnos aluisse viros mirabile visu
Sæcula prima, quia est concessus honos suus arti.
In pretio reges habuerunt scripta Sophorum,
Illa manu voluentes nocturnaq́ diurna,
Nec sat erat legisse, iuuabat & illa reuolui.
Maximus ille Plato, maiorum scripta redegit
In numerum: rursus doctißimus ille Platonis,
Naturæ interpres morumq́ Stagirita prudens
Ordine disposuit meliori cuncta. quid ille
Ascræus, quid Mæonides qui carmine docto

Quic-

Quicquid acutus habet Medicus, Iurisq́ peritus,
Quicquid Aristoteles, princeps autorq́ Sophorum,
Aut quicquid sapiens, magnusq́ Theologus: illi
Hæc primùm cecinêre afflati numine Diuûm.
Prætereo libros Demosthenis, atque Lycurgi,
Isæi, Lysiæ, Isocratis, Cineæ, Æschinis, atque
Centum Oratorum, qui pectora dura mouere
Eloquio potuêre virûm, quocunq́ volebant.
Flos illibatus Cicero, Cæsarq́ Cethegus,
Carneades, Varro, Crassus, Quintusq́ Metellus,
Marcellus, Scaurus, quoq́ Cotta, Aurelius. illos
Quid memorem Galbas, Celsos, Caiosq́ Seranos,
Virgilios, Flaccos, celebres aliosq́ Poëtas,
Qui Heroum magnas celebrârunt carmine laudes.
Copia temporibus fuit illis multa Maronum,
Multa Oratorum quoq́ copia, multa Sophorum.
Nam Mecœnates auri argentiq́ talentis
Spretis; illa dabant doctis, & honoribus amplis
Ornabant, tali in pretio virtutis alumni
Sunt habiti, & studij cultores, talibus aucti
Muneribus: nec enim licuit sine munere tantos
Esse viros: quibus ars cordi, quibus inclyta virtus,
Et doctus Phœbus, Musæ, ingeniosa Mineruaq́.

Hæc ego

Hæc ego dum mecum cogito multumq́ reuoluo,
Totum me studijs totumq́ laboribus vltrò
Deuoui, sine queîs in vitâ nulla parantur
Vitæ præsidia, iniucunda & viuitur ætas.
Nec sibi nec patriæ poterit prodesse nec vlli,
Quò vitam instituet, tenuesq́ solutus in auras
Et cineres, nihil is nisi puluis & vmbra futurus,
Nulliusq́ viri, functus versabitur ore.
Artibus ingenuis excultum Musa vetabit
Docta mori, clarus fiet Garamantibus Indis,
Absens semper erit; defunctus luce fruetur
Perpetua, tantus studiorum fructus, honorq́
Tantus, & æthereâ morientes sede beabunt.
Cui igitur studium cordi, Musæq́ Mineruaq́
Est animo, nullum fugiat, renuatq́ laborem:
Namq́ labore Dij mortalibus omnia donant.
Hæc ego succisis horis tenuiq; Minerua
Lusi; quæ capies Mikulini mente serena.

Μόνῳ σοφῷ Θεῷ δόξα.

Ε᾿ις τὸν Α᾿ρισάρχον ἔπος.

sic!

Οὐ μὲν ἐκεῖνος ἐγὼ· τίνος ποιημάτα δάκνεις,
Εἰ δ᾿ εἴην κεῖνος γαρ᾿· μὴ δυναμμένος εἴης.
Α᾿ρα μητὲ θέλω χαροπὸς σοί Χοιρίλος εἶναι,
Δωροφόρος μὲν Α᾿λέξανδρος μόι μήποτε σ᾿ ἔσω.

[illegible] Jo. Heurnij Institutiones Medicinae excepta ... dictantis [illegible]
J. Heurnij modus ratioque studendi eorum qui medicinae operam
suam dicarunt. Synopsis Ethicae Moralis [illegible] Donelli [illegible]
Ciceroniana Epitheta Antitheta et adiuncta ab Horatio Tuscellano [illegible]
Roberti Turneri Devonij Angli etc. Orationes et Tractatus et Epistolarum centuriae duo
Adriani Turnebi adversariorum ~~libri~~ tomi tres. Auctorum qui in his sine certa ...
Additi [illegible] Indices tres copiosissimi.

Francisci Robortelli Utinensis in librum Aristot. de arte poetica explicationes

---